

*Relatio Brunonis Olomucensis ad Gregorium X., 1273 dec. 16*

CDR II/2,

n. 719

[4] Confinia vero regni circa terminos nostros hec sunt: Vngaria, Ruschia, Lethouia et Pruscia. Hec vero sunt pericula a regno Vngarie christianitati imminentia: primum quod in ipso regno Cumani manutentur, qui non solum alienigenis, set eciam ipsius regni incolis atrociter sunt infesti et modo apud alias minus solito preliandi infantibus et senibus non parcentes, iuvenes et iuvenulas captivatos in sui ritus malicie deducunt consuetudinem, ita quod potentiam suam taliter iam multiplicaverunt per eosdem, quod ipsi Vngarie certum ex hoc imminet periculum et iactura et terris etiam convicinii. Item in eodem regno manifeste heretici et scismatici confoventur terrarum profugi aliarum. Ecce ipsa regina Vngarie est Cumana,<sup>13</sup> proximi parentes eius gentiles sunt et fuerunt. Due filie regis Vngarie Ruthenis, qui sunt scismatici, desponsate fuerunt.<sup>14</sup> Soror iuvenis huius regis Vathatio est tradita, ecclesie inimico.<sup>15</sup> Rutheni sunt scismatici et Tartarorum nichilominus servitores. Lethwani et Prutheni velud gentiles plures episcopatus Polonie iam penitus deleverunt. Isti sunt parietes proximi nobis, in quibus, cum ardeant, rem nostram agi<sup>16</sup> sine dubio iam videmus.

[5] Ut ergo de principibus Teutonie taceamus, qui adeo in se sunt divisi, ut superiorem habere non intendant, quod desolationem et destructionem sue terre unus ab altero expectare videtur, unde ad christianitatem in nostris partibus defendendam vel ad dampna transmaritimarum partium propulsanda inhabiles sunt omnino, soli regno Boemie imminere videtur in partibus nostris defensio fidei christiane. Certe per has terras fuit introitus Tartarorum et iterum expectatur. Nisi ergo vestra paterna providentia cavere voluerit periculis iam vicinis, sic studens in acquisitione Terre sancte, quod non relinquat in periculo terras istas, volentes vitare Karibdim<sup>b</sup> in Cillam utique incidemus.<sup>17</sup> De clero